

sede vacante, in campis apud villam dictam Faustorf^{a. 1} Coloniensis dyocesis in presentia mei notarii publici et testium subscriptorum serenissimus princeps et dominus dominus Lud(owicus) Dei gratia in regem Romanorum electus religiosum et prudentem virum fratrem Wernherum dictum de Wintrich ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani domus Treverensis suum verum et legitimum constituit procuratorem et nuncium specialem ad comparandum et se personaliter presentandum coram venerabili in Christo patre domino Henrico archiepiscopo Coloniensi et ad petendum et requirendum eundem suo nomine iterato, sicut et alias^b ipsum per reverendum in Christo patrem dominum abbatem monasterii^c Eberacensis Cyster-ciensis ordinis requisivit, quem nuper ad ipsum dominum archiepiscopum propter hoc specialiter destinavit: Cum nuper ipse dominus Lud(owicus) apud Frankenfurd die ad hoc prefixa rite fuerit electus in regem Romanorum a venerabilibus in Christo patribus et dominis dominis^d Petro sancte Maguntine sedis et Bald(uino) sancte Treverensis ecclesie archiepiscopis per Germaniam et per Galliam sacri imperii archicancellariis necnon magnificis principibus et dominis dominis Iohanne^e Bohemie et Polonie rege et comite Lucelmburgensi^f, Woldemaro marchione Brandemburgensi et Iohanne seniori^g duce Saxonie electoribus regis Romanorum, diemque sibi videlicet vicesimam quartam^h mensis Novembris, que est dies dominica proxime ventura, prefixerit apud Aquisgrani de consilio, consensu et approbatione dictorum electorum ad recipiendum regale dyadema, prout consuetudinis est atque moris: quatenus si sua et ecclesie sue crediderit aliquammodo interesse acⁱ aliquid ministerii vel officii circa dictam suam coronacionem competere, predictis loco et die una cum aliis predictis suis electoribus, qui ibidem presentes extiterint, compareat eadem si voluerit executurus; cum intimacione quod, si non venerit, ipse dominus rex electus ab alio vel ab aliis, a quo vel quibus poterit vel debet, munus sue recipiet

a) 'Fāu.' 2. b) 'at' 1. c) 'manastū' 1. d) 'dnī' 1. e) Corr. aus 'Iohēs' 1. f) 'Luceburgensi' 2. g) 'seniore' 2. h) 'XXIII' 2. i) 'et' 2.

1) Feusdorf bei Stadtkyll (Kreis Daun). Hierdurch ergibt sich ein neuer Ort für das Itinerar Ludwigs, der offenbar mit Balduin über Hunsrück und Eifel nach Aachen zog, da ihm das Rheinthall vom Kölner Erzbischof versperrt wurde. Vgl. S. 309 Anm. 1.